

# HVNDINGVS SAXONIAE REX.



**H**vndingus omnis generis uirtutibus prædictus, Saxonum rex extitit, circa annum mundi termillesimum centesimum uigesimum, quo tempore Roë & Helgo fratres apud Danos & Sueonas rebus præcessent. Cum autem Helgo mari imperiū nactus esset, de improviso Saxones in Cymbrico Chersoneso (quæ & Iutia dicitur) inuasit. Ita que Hundingus copijs collectis, huic obuiam processit, atq; ad urbē Stadium, instructa acie, hostem expectauit. Id cum Helgo uidisset, regi Saxonum persuadere cœpit, ut totam belli fortunam secum Duello finiret. Tum enim potissimum utriusq; uirtutem patere posse. Cum itaq; Hundingus sua uirtute confisus, eam petitionem negare nollet, ne turpitudinis notam suæ genti inureret, Duellum inter reges, utroq; exercitu spectante, incoepsum fuit. Ibi utriusq; uirtus diu ancipiū uictoria satis superq; spectata est. Tandem tamen Helgo, cui id genus certaminis notius erat, superior euasit. Ab eo tempore Cymbrica Chersonesus Saxonibus adempta, in Danorum potestatem peruenit, ac ad hodiernum diem usq; permanxit, quantumuis Saxones multoties eā armis recuperare tentarint. *Sax. lib. secundo. Crantz. in Sax. lib. i. cap. 4.*